

rideant Judæi crucifixum Christum, quia scandalum est eis; irrideant Pagani crucifixum Christum, quia stultitia est eis: « Nos autem, inquit, prædicamus Christum crucifixum, Judæis quidem scandalum, Gentibus autem » stultitiam; ipsis vero vocatis Judæis et Græcis Christum » Dei Virtutem et Dei Sapientiam¹. Omnia in sapientia » fecisti. »

XXVI. « Repleta est terra creatura tua². » Repleta est terra creatura Christi. Et quomodo? Quomodo videmus. Quid enim non a Patre per Filium creatum est? Quidquid ambulat et repit in terris, quidquid natat in aquis, quidquid volat in aëre, quidquid in cœlo circumagitur, quanto magis terra, totus mundus creatura Dei est. Sed nescio quid hic significat de quadam creatura nova, de qua dicit Apostolus: « Si qua in Christo nova creatura, vetera » transierunt, ecce facta sunt omnia nova, omnia autem » ex Deo³. » Nova creatura quæ facta est, omnes credentes in Christum, exuentes se veterem hominem, et induentes novum⁴. « Repleta est terra creatura tua. » In uno loco terræ crucifixus erat, in uno exiguo loco cecidit granum illud in terram, et mortificatum est; sed magnum fructum attulit: Singularis eras, Domine Jesu, donec transires: agnosco in alio Psalmo vocem tuam, qua dixisti: « Singularis ego sum, donec transeam⁵. » Singularis ergo eras, donec transires; singularis eras, cum agnovisti occasum tuum: sed ab occasu in ortum transisti. Ortus es, splenduisti, clarificatus es, cum in cœlum ascendisti, et « Repleta est terra creatura tua. » Psalmum, fratres, nondum finivimus: sed aliquid inde in nomine Christi etiam ad diem Dominicum differamus.

¹ 1 Cor. 1, 23, 24. — ² Psal. ciii, 24. — ³ 2 Cor. v, 17, 18. — ⁴ Ephes. iv, 22-24. — ⁵ Psal. cxl, 10.

ENARRATIO IV

IN EUMDEM PSALMUM CIII.

SERMO IV.

De quarta parte Psalmi.

I. MEMINIT Charitas Vestra, cum sit unus sermo Dei in Scripturis omnibus dilatatus, et per multa ora sanctorum unum Verbum sonet, quod cum sit in principio Deus apud Deum¹, ibi non habet syllabas, quia non habet tempora; nec mirandum nobis sit, quia propter infirmitatem nostram descendit ad particulas sonorum nostrorum, cum descenderit ad suscipiendam infirmitatem corporis nostri: istum tamen Psalmum jam multos nobis fecisse sermones, mysteriaque ipsa quæ hic clausa tenentur, ut pulsantibus aperirentur, attulisse nobis non parvas per aliquot dies moras temporis, cum pronuntiantur, cum commendantur, cum clausa esse monstrantur, cum aperiuntur, cum eruuntur, cum ostenduntur: ac per hoc meminit, ut dixi, Charitas Vestra, nec præterito die ad ejus terminum Psalmi nos pervenire potuisse, et distulisse in hunc diem. Voluit Dominus et tempus redditionis nobis exhibere, et me debitorem debito satisfacere, et exactores securiores efficere, det ergo ipse bonum quod reddamus, qui non reddidit quidquid mali feceramus.

II. Exclamaverunt, ut nostis, ut cum pietate gaudioque

¹ Joan. 1, 1.

recolitis, exclamaverunt cum Psalmo viscera cordis nostri, et dixerunt, « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti: repleta est terra creatura tua¹. » Quidquid a Deo factum est, in sapientia factum est, et per sapientiam factum est. Quidquid novit sapientiam, et quidquid non novit sapientiam, et tamen in creatura Dei est, in sapientia factum est, et per sapientiam factum est. Qui cognoscunt sapientiam, lucem habent sapientiam; qui non cognoscunt, habent tamen artificem sapientiam, cum sint ipsi detenti insipientia: et qui eam lucem habent, etiam artificem habent; non quicumque artificem habent, etiam lucem habent. Et quidem in hominibus multi sunt qui ejus participes fiunt, et sapientes vocantur; multi ejus expertes, stulti nominantur. Propter hoc vitioso nomine stulti appellantur, quia si studeant sapientiæ, si petant, si quærant, si pulsent, possunt pervenire ad ejus participationem: non enim naturæ, sed negligentia denegatur. Sunt autem aliæ creaturæ, quæ non possunt fieri participes sapientiæ; sicut omnes bestię, omnia pecora, omnes arbores, quæ nec sensum habent ullum. Numquid quia participes sapientiæ esse non possunt, ideo non in sapientia et per sapientiam facta sunt? Non ergo exigit Deus intellectum de equo et mulo: sed hominibus dicit, « Nolite esse sicut equus et mulus, quibus non est intellectus². » Quod equo natura est, homini crimen est. Hoc ergo dicit Deus, Non exigo participationem sapientiæ meæ ab eis, quæ non feci ad imaginem meam; sed ubi feci, inde exigo, et usum ejus rei postulo, quam donavi. Homines ergo reddentes Deo quæ Dei sunt, si Cæsari reddunt quod Cæsaris est³; id est, reddentes Cæsari imaginem suam, et reddentes Deo imaginem suam, erigunt ipsam mentem suam, non ad se, sed ad artificem

¹ Psal. ciii, 24. — ² Id. xxxi, 9. — ³ Matth. xxii, 21.

suam, et ad lumen unde sunt, et ad calorem quemdam spiritalem unde fervescunt: et unde remoti frigescent, et unde recedentes contenebrantur, et quo revertentes illuminantur: et quia pie illi dixerunt, « Tu illuminabis lucernam meam, Domine, Deus meus illuminabis tenebras meas¹; » discussis tenebris terrenæ stultitiæ, aperientes os et ducentes spiritum, erigunt, ut dixi, fidem oculum cordis; et circumspiciunt mente universum mundum, terram, mare et cælum, et videntes omnia pulchre disposita, ordinata currere, digeri generibus, fulciri seminibus, mutari successionibus, currere temporibus, placeat eis in his artifex, ut et ipsi placeant in artificio artifice; et exclamant præ magno gaudio, quia vere huic lætitiæ nihil comparari potest, « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in sapientia fecisti. » Ubi est ipsa sapientia, in qua omnia fecisti? quo sensu attingitur? quo oculo videtur? quo studio quæritur? quo merito possidetur? Quo putatis, nisi gratia sua? Qui donavit ut simus, donat ut boni simus. Donat conversis, qui antequam converterentur, et cum aversi irent post vias suas, nonne quæsivit eos? nonne descendit? nonne Verbum caro factum est, et habitavit in nobis²? nonne accendit lucernam carnis suæ, dum penderet in cruce, et quæsivit perditam drachmam³? Quæsivit, et invenit vicinis congratulantibus, id est, omni creatura spiritali quæ Deum proxime attingit. Vicinis lætantibus inventa est drachma, Angelis lætantibus inventa est anima humana. Inventa est, ergo gaudeat, et dicat, « Quam magnificata sunt opera tua, Domine! » Omnia in sapientia fecisti. »

III. « Repleta est terra creatura tua. » Qua creatura tua repleta est terra? Omnibus arboribus et frutetis, omnibus animalibus et pecoribus; et universo ipso genere hu-

¹ Psal. xvii, 29. — ² Joan. i, 14. — ³ Luc. xv, 8.

mano, repleta est terra creatura Dei. Videmus, novimus, legimus, agnoscimus, laudamus, et in his prædicamus; et in his non sufficimus laudare tantum, quantum abundat ex bona inspectione cor nostrum. Sed ad illam magis creaturam debemus attendere, unde dicit Apostolus, « Si » qua igitur in Christo nova creatura, vetera transierunt, » ecce facta sunt omnia nova¹. » Quæ « Vetera transierunt? » In Gentibus omnis idololatria, in ipsis Judæis omnis illa servitus Legis, omnia illa sacrificia prænuntiantia præsens sacrificium. Abundabat tunc vetustas hominis, venit qui renovaret opus suum, venit qui conflaret argentum suum, qui formaret monetam suam, et attendimus plenam terram Christianis credentibus in Deum, avertentibus se a prioribus immunditiis suis et idololatria, a spe præterita ad spem novi sæculi: et ecce nondum est in re, et jam tenetur in spe, et per ipsam spem jam cantamus et dicimus, « Repleta est terra creatura tua. » Nondum enim in patria cantamus hoc, nondum in illa requie quæ promittitur, nondum confirmatis vectibus portarum Jerusalem²; sed adhuc in peregrinatione intuentes mundum istum totum, et undique homines currentes ad fidem, timentes gehennas, contemnentes mortem, amantes vitam æternam, spernentes præsentem, et tali spectaculo completi gaudio dicimus, « Repleta est terra creatura tua. »

IV. Hoc autem sæculum adhuc tentationum fluctibus quatitur, adhuc tempestatibus et procellis tribulationum et tumorum turbatur: hac tamenitur. Minetur licet mare, et tumeat fluctibus, procellasque parturiat; hac itur, datum est nobis lignum in quo navigemus: « Repleta est » terra creatura tua. » Sed nondum sumus in terra viventium, adhuc ista terra morientium est: clamamus autem, et dicimus, « Spes mea es tu, portio mea in terra viven-

¹ Cor. v, 17. — ² Psal. cxxvii, 13.

» tium¹. » In terra morientium spes mea, in terra viventium portio mea. Ecce ista terra, quæ repleta est creatura Dei. Qui adhuc est in ista terra morientium, nondum in terra viventium, qua transit? Audi sequentia: « Hoc mare » magnum et spatiosum, ibi repentia quorum non est » numerus, animalia pusilla et magna². » Terribile mare significat: « Ibi sunt repentia quorum non est numerus. » Insidiæ repunt in hoc sæculo, et incautos repente occupant. Repentes autem tentationes quis numerat? Repunt, sed cave, ne subripiant. Vigiletur in ligno, etiam in aquis, etiam in fluctibus tuti sumus: non dormiat Christus, non dormiat fides; et si dormierit, excitetur; imperabit ventis, placabit mare³; finietur via, gaudebitur in patria. « Ibi repentia quorum non est numerus, animalia pu- » silla et magna. » Video enim adhuc in mari isto formidoloso nondum credentes: ipsi enim versantur in amaris aquis et sterilibus, illi autem et pusilli et magni sunt. Novimus hoc, multi pusilli sæculi nondum crediderunt, multi primates sæculi nondum crediderunt: « Animalia » pusilla et magna » sunt in hoc mari. Oderunt Ecclesiam, premuntur Christi nomine; non sæviunt, quia non permittuntur: in manus non erumpens, clausa est in corde sævitia. Nam omnes sive pusilli, sive magni, « Animalia » pusilla et magna, » quæ modo dolent templa clausa esse, aras eversas, simulacra confracta, leges latas ut sacrificare idolis capitale sit crimen, omnes qui dolent hæc, in mari sunt adhuc. Quid ergo nos? ad patriam qua ituri sumus? Per ipsum mare, sed in ligno. Noli timere periculum, lignum te portat quod continet sæculum. Ergo attendite: « Hoc mare magnum et spatiosum, ibi repentia » quorum non est numerus, animalia pusilla et magna. »

¹ Psal. cxli, 6. — ² Id. ciii, 25. — ³ Matth. viii, 24-26.

Noli timere, noli terreri, desidera patriam, intellige peregrinationem.

V. « Illic naves commeabunt¹. » Ecce in eo quod terreat, naves natant, et non merguntur. Naves Ecclesias intelligimus, commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia pusilla et magna: Gubernator est Christus in ligno crucis suæ. « Illic » naves commeabunt. » Non timeant naves, non valde attendant ubi natent, sed a quo gubernentur. « Illic naves » commeabunt. » Quem commeatum reperiunt tristem, quando gubernatorem sentiunt Christum? Commeabunt secure, commeent perseveranter, venient ad finem debitum, perducentur ad terram quietis.

VI. Est in isto mari aliquid etiam, quod superat omnia animalia pusilla et magna. Quid est hoc? Psalmum audiamus: « Draco hic quem finxisti ad illudendum ei². » Ibi repentia quorum non est numerus, ibi animalia pusilla et magna, illic naves commeabunt, et non timebunt, non solum repentia, quorum non est numerus, et animalia pusilla et magna, sed nec draconem qui ibi est: « Quem » finxisti, inquit Deo, ad illudendum ei. » Magnum secretum, et tamen quod nostis dicturus sum. Nostis inimicum Ecclesiæ quemdam draconem: non vidistis oculis carnis, sed videtis oculis fidei. Ipse et qui et leo dicitur: de illo Scriptura dicit, « Conculcabis leonem et draconem³. » Subditus est iste capiti tuo, subdetur et corpori ejus; hæreant tantum membra capiti suo, ut membra ejus sint. Dictum est de prima foemina, quam seduxit hic draco, Eva scilicet illa, cui consilium mortis dedit, et persuasione astuta in cor foemineum more serpentis irrepit. Factum est quod novimus, quod ibi et nos fecimus

¹ Psal. cxi, 26. — ² Ibid. — ³ Id. xc, 13.

quod dolemus. In illis enim duobus hominibus totum genus humanum. Inde propago mortis, inde et in parvulis debita, delicta. « Quis enim mundus, ait Scriptura, in » conspectu tuo? Nec infans cujus est unius diei vita su- » per terram¹. » Tradux peccati, tradux mortis de primo peccato. Nostis enim et quid dictum est mulieri, vel potius serpenti, cum audiret Deus peccatum primi hominis: « Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus observabis cal- » caneum². » In magno mysterio dictum, in figura dictum Ecclesiæ futuræ, factæ de latere viri sui, et hoc dormientis. Erat autem Adam forma futuri. Hoc Apostolus dicit: « Qui est forma futuri³. » Præfiguratum est quod futurum erat, facta est Ecclesia de latere Domini dormientis in cruce. Nam de latere crucifixi percusso⁴, sacramenta Ecclesiæ profluxerunt. Quid ergo dictum est Ecclesiæ? Jam modo audite, intelligite, cavete: « Ipsa tuum observabit caput, et tu ejus calca- » neum. » O Ecclesia, caput serpentis observa. Quod est caput serpentis? Prima peccati suggestio. Venit tibi in mentem nescio quid illicitum: noli ibi tenere mentem tuam, noli consentire. Hoc quod venit in mentem, caput serpentis est: caput calca, et evades cæteros motus. Quid est, caput calca? Ipsam suggestionem contemne. Sed lucrum suggestit: magnum ibi lucrum est, magnum ibi aurum est; si hanc fraudem feceris, dives eris. Caput serpentis est, calca. Quid est, calca? Contemne quod suggestit. Sed magnum aurum suggestit. Et quid prodest homini, si totum mundum lucretur, animæ autem suæ detrimentum patiat⁵? Pereat mundi lucrum, ne fiat animæ damnum. Hæc dicens, observasti caput serpentis, et calcasti. Ille autem diabolus calcaneum tuum observat. Quid

¹ Job. xiv, 4, 5. — ² Gen. iii, 15. — ³ Rom. v, 14. — ⁴ Joan. xix, 34. — ⁵ Matth. xvi, 26.

est, observat calcaneum tuum? Quando labaris a via Dei. Tu observas primam suggestionem, ille observat lapsum tuum. Si enim lapsus fueris, cades; si cecideris, possidebit. Ut autem non cadas, noli exire de via. Angustam tibi semitam stravit Deus: quidquid extra illam, lubricum est. Propterea lumen est Christus, et via est Christus. « Erat » lumen verum quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum¹. » Et, « Ego sum via, et veritas, » et vita². » Per me is, ad me is. Si ergo ipse est lumen, et ipse est via; si ab illo recesseris, nec in lumine eris, nec in via. Et quid te sequitur? Quod dicit de impiis quidam Psalmus: « Fiat via illorum tenebræ et lubricum³. »

VII. Hic ergo draco, antiquus hostis noster, ira fervidus, insidiis astutus, in mari magno est. « Draco hic quem » finxisti ad illudendum ei. » Jam tu illude draconi: ad hoc enim hic factus est draco. Ipse cadens peccato suo de sublimi habitatione cœlorum, et ex Angelo factus diabolus, accepit quemdam locum suum in hoc mari magno et spatioso. Regnum ejus quod putas, carcer ejus est. Multi enim dicunt, Quare tantam potestatem diabolus accepit, ut dominetur in isto sæculo, et tantum valeat, tantum possit? Quantum valet, aut quantum potest? Nisi permissus, nihil potest. Tu sic age, ne permittatur in te; aut si permissus fuerit ad tentandum, victus abscedat, et non possideat. Permissus est enim ad tentandos quosdam sanctos viros famulos Dei: superaverunt eum, quia de via non recesserunt, non lapsi sunt, quorum observabat calcaneum. Job ille sanctus sedebat in stercore, et currebat in via: videte quomodo observaverit caput ejus, et quemadmodum ille calcaneum ejus attendebat. Ille repellebat suggerentem, ille sperabat labentem: cœpit et ejus mulierculam; subtraxit omnia quæ habebat, solam dimisit

¹ Joan. 1, 9. — ² Id. xiv, 6. — ³ Psal. xxxiv, 6.

adjutricem suam, non mariti consolatricem, sed potius tentatricem; cepit etiam ipsam non observantem caput ejus. Adhuc enim illa Eva erat: sed jam ille Adam non erat. Ablatis omnibus, remansit Job cum uxore, per quam tentaretur; et cum Deo, a quo regeretur. Quid illo pauperius subito factum, si domum ejus consideres? Quid illo ditius, si cor ejus cogites? Vide paupertatem domus: ablata sunt omnia, Vide divitias cordis: « Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum. Dominus dedit, Dominus abstulit¹: » noverat rectorem suum, et tentatorem suum, permissorem tentatoris sui noverat. Nihil sibi, inquit, diabolus tribuat; voluntatem habet nocendi, potestatem autem nisi acciperet, non haberet: quantum accepit ille potestatis, tantum ego patior: non ergo ab illo patior, sed ab eo qui potestatem dedit: contemnatur superbia tentatoris mei, sustineantur flagella patris mei. Repulsus est tentator, observatum est caput ejus, penetrare non potuit in cor. Muratam civitatem forinsecus oppugnavit, sed non expugnavit. Accessit alia tentatio, permissus est ad corpus ejus, percussit gravi vulnere a capite usque ad pedes, contabescebat putredine, scatebat vermibus, amissa domo sedebat in stercore. Ibi Eva captivata, a diabolo non ad adjutorium marito supposita, sed ad lapsum, suggerit ut blasphemetur Deus. Primo suggestit in paradiso ut contemneretur Deus, modo ut blaphemetur Deus. Valuit tunc in integrum, nunc victus est a putri: in paradiso dejecit, in stercore superatus est. Attendebat autem ille draco utrum Job lingua laberetur. Omnis enim homo in actu suo pedes habet in eo quod agit; in quo movetur, ibi tanquam ambulat. Dicebat ille multa; quanta enim dixit Job, qui legunt, nove-

¹ Job. 1, 21.

runt : in tam multis illis verbis observabat serpens calca-
neum labentis. Ille autem qui caput observabat serpentis,
repulit omnem suggestionem. Respondit et mulieri, sicut
dignum erat respondere mulieri : « Locuta es, inquit, tan-
» quam una de insipientibus mulieribus : si bona perce-
» pimus de manu Domini, mala non sustinebimus? Et
» inter illa omnia quæ dixit, nusquam lapsus est¹. »
Quod multi in illis verbis non intelligunt, et quædam
ibi sic accipiunt, quasi aliquid durum dixerit Job in Deum.

VIII. Nam inter multa etiam hoc dixit, velut stoma-
chans adversus Deum, sicut videbatur non intelligentibus :
ille autem gestabat personam magnam magnæ prophe-
tiæ : « Utinam, inquit loquens ad Deum, utinam esset
» nobis arbiter². » Quid est, « Utinam esset nobis³ ar-
» biter? » Quasi qui inter nos judicaret, et quo judicante
causa mea vinceret. Sic accipitur ad primum sonum : sed
discute te, ne labaris : attendit enim serpens ille semper
calcaneum tuum⁴. Quid visus est dixisse Job? « Utinam
» esset nobis arbiter, » utinam esset medius aliquis, qui
judicaret inter me et te. Hoc Deo homo, hoc in stercore
homo, hoc vel in cælo Angelus Deo, « Utinam esset nobis
» arbiter? » Sed quid prævidebat? quid optabat? « Multi,
» inquit Dominus, justi et prophetæ voluerunt videre
» quæ videtis, et non viderunt⁵. » Arbitrum desiderabat.
Quid est arbiter? Medius ad componendam causam. Nonne
inimici eramus Dei, et malam causam habebamus adver-
sus Deum? Quis finiret causam istam malam, nisi ille me-
dius arbiter, qui nisi veniret, misericordiæ perierat iter?
De quo Apostolus dicit, « Unus enim Deus et mediator
» Dei et hominum homo Christus Jesus⁶. » Si non homo,
non mediator; quia æqualis Patri Deus. Dicit alio loco,

¹ Job. II, 10. — ² Id. IX, 33, juxta LXX. — ³ ὁ μεσίτης ἡμῶν. — ⁴ Gen.
III, 15. — ⁵ Matth. XIII, 17. — ⁶ I Tim. II, 5.

« Mediator autem unius non est, Deus autem unus est¹. »
Inter duos mediator : ergo Christus mediator inter homi-
nem et Deum. Non quia Deus, sed quia homo : nam quia
Deus, æqualis Patri; sed æqualis Patri, non mediator.
Ut autem sit mediator, descendat a superiore ad inferio-
rem, ab æqualitate Patris; faciat quod ait Apostolus,
« Semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in si-
» militudine hominum factus, et habitu inventus ut
» homo². » Fundat sanguinem suum, deleat chirogra-
phum nostrum³, componat inter nos et Deum, nostram
voluntatem corrigens ad justitiam, illius sententiam flec-
tens ad misericordiam. Sicut ergo hoc unum exposuimus,
quantum Dominus dedit, quod durum videtur dictum
est a Job : sic et cætera quæ ibi videntur quasi aspera et
blasphema, habent intellectus suos. Quod putaremus ali-
ter esse, nisi Deus perhiberet testimonium, et antequam
loqueretur Job, et posteaquam totum locutus est. Perhi-
buit Deus primo testimonium, dicens, « Homo sine que-
» rela, verax Dei cultor⁴. » Dixit hoc Deus, dixit hoc ante
tentationem illius. Ne quis autem in illis verbis forte male
intelligens scandalizaretur, et putaret justum quidem vi-
rum fuisse Job ante tentationem, in tentatione autem gravi
defecisse, et lapsum esse in sacrilegam blasphemiam; fi-
nitis omnibus sermonibus, et ipsius Job, et amicorum ejus
a quibus ei consolatio reddebatur, dicit Dominus testi-
monium, illos non verum locutos, sicut servum ejus Job.
« Non enim locuti estis, inquit, coram me verum quid-
» quam, sicut servus meus Job⁵. » Deinde jubet ut ille
pro eis offerat hostias, quibus eorum peccata solvantur.

IX. Eia, fratres mei, qui vult observare caput serpen-
tis, et securus transire hoc mare; quia necesse est habitet

¹ Gal. III, 20. — ² Philip. II, 7. — ³ Coloss. II, 14. — ⁴ Job. I, 8. —
⁵ Id. XLII, 7, 8.

hic serpens iste, et, ut dicere cœperam, lapsus diabolus de cœlo hunc locum accepit; observet caput ejus, a timore sæculi, et a cupiditate sæculi. Hinc enim suggerit aliquid, aut unde times, aut unde cupis; aut amorem tuum tentat, aut timorem. Tu si timueris gehennas, amaveris regnum Dei, observabis caput ejus. Evitato capite, securus eris; nec ille lapsum tuum tenebit, nec de tua ruina gaudebit. Nemo autem dicat, ut dixi, Magnam habet protestatem. Vident enim homines quasi quantum acceperit potestatis; quid perdiderit, non vident. Ipse autem sanctus Job in verbis suis mysticis et alte secretis, dicens de ista potestate, quam dicitur diabolus habere, et describens illum multis modis in figuris similitudinum, exponens quid ille sit; vel quid valeat, hoc quoque ait, « Non est quidquam simile ei factum super terram, ad » illudendum ei ab Angelis meis. » Deus ibi loquitur in libro Job: « Non est quidquam ei super terram simile » factum, ad illudendum ei ab Angelis meis. Omne altum » videt; et ipse rex omnium quæ in aquis sunt¹. » Cui testimonio congruit hoc in Psalmo. Cum enim diceret de mari magno et spatioso, ubi animalia pusilla et magna, ubi repentina quorum non est numerus, ubi naves navigant ligno tutæ, ait, « Draco hic quem finxisti ad illudendum » ei. » Sed si ad illudendum, quomodo Deus illi illudit? An tradidit eum illudendum, hoc est, ut illudatur? Putarem quod Deus illi illuderet, nisi Scriptura Job solvisset quæstionem: ibi enim dictum est: « Ad illudendum ei ab Angelis meis. » Vis illudere draconi? Esto Angelus Dei. Sed nondum es Angelus Dei. Donec sis, si eum cursum tenes ut sis; sunt Angeli qui illudant draconi, ne tibi noceat. Præpositi enim sunt Angeli cœlorum super potestates aëreas, et inde procedit verbum quod fit

¹ Job. xli, 24, 25, juxta lxx.

hic. Intuentur enim legem fixam, legem æternam, jubentem sine scriptura, sine syllabis, sine strepitu, fixam semper et stantem, intuentur Angeli corde mundo, et ex illa faciunt quidquid hic fit; et potestates ex illa ordinantur a summis usque in ima. Et si potestates summorum cœlorum reguntur verbo Dei, quanto magis inferiores atque terrenæ? Remanet ergo in malis sola nocendi cupiditas. Hanc habet homo in potestate cupiditatem nocendi, voluntatem ad perniciem. Si autem cuiquam nocere potuerit, non gloriatur; non ipse nocuit, data est ei potestas. Semel dictum est, sententia firma est: « Non est » potestas, nisi a Deo¹. » Quid ergo times? In aquis sit draco, in mari sit draco: illac transiturus es. Sic est fictus ut illudatur, hic ad hunc locum ordinatus est, in his sedibus deputatus est. Magnum aliquid illi putas esse has sedes, quia non nosti sedes Angelorum unde lapsus est: quæ tibi videtur ejus gloriatio, damnatio est.

X. Similitudinem accipite breviter: quia revera magnum aliquid est hoc nosse et intelligere. Domum magnam aliquam putate totam istam administrationem creaturæ: domus ista magna habet dominum, habet servos, et in ipsis servis habet circa se proximos sibi in apparatus melioribus vestium, thesaurorum, horreorum, magnarum possessionum: habet etiam servos in infimis ministeriis, ita subditis sibi potestatibus, ut quosdam habeat et ad mundandas cloacas: a summis procuratoribus usque ad extrema ista et infima ministeria quam multi sunt gradus. Si ergo aliquis magnus procurator offendat, et pœna domini sui, verbi gratia, fiat ostiarius in aliquo loco extremo; si exercens sibi datam potestatem, volentes intrare vel exire perturbet, secundum modum potestatis quem accepit a domino, illi autem nesciant eum fuisse

¹ Rom. xiii, 1.

aliquando magnum procuratorem; magnam potestatem illius esse arbitrantur, quia quid perdidit nesciunt. Et tamen, fratres mei, ostiarius ille, de quo dixi, ad similitudinem domus magnæ hujus terrenæ, potest aliquid facere nesciente domino suo, et turbare aliquem illo non jubente: iste autem nec ad illam januam positus est, qua intramus ad Deum. Christus est enim illa janua, et per Christum intramus ad vitam æternam¹. Sed est quædam janua, qua intratur in hoc sæculum, janua quædam mortalitatis: circa ista infirmæ carnis hujus detrimenta et supplementa, ad istam januam quasi quidam ostiarius est: hic habet potestatem in isto mari, qua naves comitant; sed non tantam ut faciat aliquid nesciente aut nolente Domino suo. Ne forte aliquis dicat: Perdidit quidem ille magnam potestatem superiorum apparatus: sed ego in his infimis sum, hic me potest habere in potestate, opus est ut serviam illi. Noli falli, novit te Dominus tuus; et sic te novit, ut capillos tuos habeat numeratos². Quid ergo times? Tentaturus est forte carnem tuam: flagellum est Domini tui, non potestas tentatoris tui. Vult nocere saluti quæ promittitur; sed non permittitur: ut autem non permittatur, habe caput Christum; repelle caput draconis, suggestioni ejus noli consentire, a via tua noli labi. « Draco hic quem finxisti ad illudendum ei. »

XI. Nam vis videre quam non tibi noceat, nisi permisus? « Omnia, inquit, a te expectant, Domine, ut des » illis cibum in tempore opportuno³. » Et iste draco manducare vult, sed non manducat quem vult. « Omnia a te » expectant, Domine, ut des illis cibum in tempore opportuno. Omnia, » et repentina quorum non est numerus, et animalia pusilla et magna, et ipse draco, et omnis creatura tua, qua implesti terram; « Omnia a te expectant, Domine, ut des illis cibum in tempore opportuno: » un-

¹ Joan. x, 9. — ² Matth. x, 30. — ³ Psal. ciii, 27.

cuique cibum suum. Habes cibum tuum, habet et draco cibum suum. Si bene vixeris, cibum Christum habebis; si a Christo recesseris, cibus draconis eris. « Omnia a te » expectant, ut des illis cibum in tempore opportuno. » Quid dictum est ipsi draconi? « Terram manducabis. » Draconi dictum est: « Terram manducabis cunctis diebus » vitæ tuæ. » Audistis cibum draconis. Non vis ut det te Deus manducandum draconi; noli esse cibus draconis, id est, noli relinquere verbum Dei. Ubi enim dictum est draconi: « Terram manducabis: » ibi jam dictum erat et prævaricatori, « Terra es, et in terram ibis¹. » Cibus serpentis esse non vis? noli esse terra. Quomodo, inquis, non ero terra? Si terrena non sapias. Audi Apostolum, ut non sis terra. Nam corpus quod geris terra est, sed tu noli esse terra. Quid est hoc? « Si resurrexistis, inquit, » cum Christo, quæ sursum sunt quærite, ubi Christus » est in dextra Dei sedens; quæ sursum sunt sapite, non » quæ super terram². » Si non sapis terrena, non es terra: si non es terra, non manducaris a serpente, cui cibus data est terra. Cibum suum dat Deus serpenti, quando vult, quem vult: bene autem judicat, falli non potest, non ei dat aurum pro terra. « Omnia a te expectant, Domine, ut des illis cibum in tempore opportuno³. » Cum dederis eis, colligent. » Ante illos sunt; sed non colligent, nisi cum dederis. Ante diabolum Job erat; et quidem non devoravit Job, sed vel tentare non ausus est, nisi cum ille dedisset⁴. « A te expectant: cum » dederis eis, colligent; » si non dederis, non colligent.

XII. Et quid nos, fratres? quem cibum habemus? Sequitur et de cibo nostro. « Aperiente autem te manum

¹ Gen. iii, 14 et 19. — ² Coloss. iii, 1, 2. — ³ Psal. ciii, 28. — ⁴ Job. i, 12.

» tuam, universa implebuntur bonitate. » Quid est, o Domine, quod aperis manum tuam? Manus tua Christus est. « Et brachium Domini cui revelatum est ¹? » Cui revelatur, illi aperitur: revelatio enim apertio est. « Aperiente autem te manum tuam, universa implebuntur bonitate. » Revelante te Christum tuum, « Universa implebuntur bonitate. » Non autem habent a se bonitatem; nam aliquando probatur illis: « Avertente autem te faciem tuam, turbabuntur. » Multi repleti bonitate, sibi tribuerunt quod habebant, et voluerunt gloriari quasi in justificationibus suis, et dixerunt sibi: Justus sum, magnus sum: et facti sunt sibi placentes. Et sonuit eis Apostolus: « Quid enim habes, quod non accepisti ²? » Volens autem probare Deus homini, quod ab illo habeat quidquid habet, ut cum bonitate habeat et humilitatem, aliquando eum perturbat; avertit ab illo faciem suam, et decidit in tentationem: et ostendit illi, quia quod justus erat, et recte ambulabat, ipso regente fiebat. « Avertente autem te faciem tuam, turbabuntur. » Videte quid dicat et in alio Psalmo: « Ego dixi in abundantia mea: » Non movebor in æternum ³. » Præsumpsit de se, impletus erat bonitate, et putabat a se sibi esse totam bonitatem, et dixit in corde suo: « Non movebor in æternum. » Sed quia jam senserat Dei gratiam se percepisse, pro eo quod erat expertus, reddidit gratiarum actionem: « Domine, » in voluntate tua præstitisti decori meo virtutem, avertisti autem faciem tuam a me, et factus sum conturbatus ⁴. » Sic et hic, « Aperiente te manum tuam; » aperies manum, « Et universa implebuntur bonitate, » non manu sua, sed manu tua aperta. « Avertente autem te faciem tuam, turbabuntur. »

¹ Isai. lxxv, 1. — ² Psal. ciii, 29. — ³ 1 Cor. iv, 7. — ⁴ Psal. xxix, 7. — ⁵ Ibid. 8.

XIII. Sed quare hoc facis? quare avertis faciem tuam, ut turbentur? « Auferes spiritum eorum, et deficient. » Spiritus eorum, superbia eorum erat: gloriantur, sibi tribuunt, se ipsos justificant. Averte ergo faciem tuam, ut turbentur: aufer spiritum eorum, et deficient; clament ad te: « Cito exaudi me, Domine, defecit spiritus meus. » Ne avertas faciem tuam a me ¹. Auferes spiritum eorum, et deficient, et in pulverem suum convertentur. » Invenit se homo pœnitens de peccato suo, quia non habebat vires ex se; et confitetur Deo, dicens se esse terram et cinerem. O superbe, conversus es in pulverem tuum, ablatu est spiritus tuus; jam non te jactas, non te extollis, non te justificas; vides quia de pulvere factus es, et avertente faciem suam Domino, in tuum pulverem recidisti. Roga ergo, confitere pulverem tuum et infirmitatem tuam.

XIV. Et vide quid sequatur: « Emittere spiritum tuum, » et creabuntur ². » Auferes spiritum eorum, emittere tuum: auferes spiritum eorum, non habebunt spiritum suum. Ergo deserti sunt? « Beati pauperes spiritu: » non sunt autem deserti, « Quoniam ipsorum est regnum cœlorum ³. » Noluerunt habere spiritum suum, habebunt spiritum Dei. Hoc enim dixit Martyribus futuris: « Cum vos ceperint et adduxerint, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini? non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis ⁴. » Nolite vobis tribuere fortitudinem. Si vestra est, inquit, et mea non est: duritia est, non fortitudo. « Auferes spiritum eorum, et deficient; et in pulverem suum convertentur: emittere spiritum tuum, et creabuntur. Ipsius enim sumus figmentum, dixit Apostolus, creati in ope-

¹ Psal. cxlv, 7. — ² Id. ciii, 30. — ³ Matth. v, 3. — ⁴ Id. x, 19, 20.